Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26146
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Haec ad historiam referri quemadmodum possint.
ubi enim inuenimur quod ager clausos habuerit
oculos. & apertis in postmodum. Nonne luce cla
rior est in his intellegentia spiritalis. & mysticum.
quod abiectus est. is qui secundum carnem est populus.
& tam diu iacet insipiens & sicut si fiem panis
perferens. neque sitim aquae. sed sitim uerbi dei.
Donec aperiantur oculi synagogae. Hoc est quod apostolus
dicit. Ex parte mysterium quia caecitas contigit ex par
te israel. Donec plenitudo gentium introiret. &
tunc omnis israel saluus fieret. Ista est ergo caecitas
in agro. quae secundum carnem genuit. quae etiam diu
in eo manet. donec uelamen litterae auferatur
per angelum dei. & uideret aquam uiuam. Nunc enim
iacent iudei circa ipsum puteum. sed oculi eorum
clausi sunt. & non possunt bibere de puteo legis & pro
phetarum. Sed & nos cauendum est. quia frequenter &
nos circa puteum iacemus aquae uiuae. Idest cir
ca scripturas diuinas. & erramus in ipsis. Tenemus
libros & legimus. sed spiritalem sensum non ad
tingimus. Et ideo opus est lacrimis & oratione
indesinenti. Ut dominus aperiat oculos nostros. Quia
& illi caeci qui sedebant in hiericho. nisi clamassent
ad dominum. ne fuissent apti oculi ipsorum. Et quid dico.